

M° CC.LXXXII. tertio nonas Aprilis, praesentibus nobili viro domino burgrauio de Lysnich, Heinrico de Coldiz, Heinrico de Trebessin, Tyliconi de Hunsberge, Vlrico de Maltiz militibus et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. An Fäden von rother und grüner Seide hängt das etwas beschädigte Reitersiegel des Markgrafen Friedrich (das pfalzgräfliche, mit dem Adler im Schilde und der Umschrift *Fridericus dei gracia comes Saxoniae palatinus*).

No. 25. 1296. 18. Mai.

*Der Domherr Conrad von Boruz trifft hinsichtlich der oben No. 11 u. 18 dem Hospital als Schenkung unter den Lebenden verlichenen Zinsen einige den Betrag und die Verwendung derselben ändernde Bestimmungen.*

In nomine domini amen. Conradus de Boruz canonicus et custos ecclesiae Misnensis hospitali eiusdem ecclesiae praesens scriptum perpetuo duraturum. Cum adeo labilis humana memoria dinoscatur, quod ab ipsa quae geruntur citissime dilabantur, si non fuerint scripti testimonio perhennata (nam scriptura recolligimus quondam scita et addiscimus saepius non audita), hinc est quod ad notitiam tam praesentium quam futurorum praesenti pagina cupio pervenire, quod agros quos in Colonia habui iuxta Mysne se ad duos mansos extendentes hospitali testando legavi, praeterea quatuor maldaria et dimidium de decima in Dresden, quorum viginti septem modii siligo, residuum in avena, volens ut de dictis viginti septem modiis additis ipsis viginti quinque modiis siliginis de agris praedictis ipsum hospitale pistet singulis septimanis unum modium siliginis, qui detur pauperibus scolaribus choro deservientibus Mynsensi, praedictos viginti quinque modios hospitali recompensare cupiens, cum primum in decima vel alias in bonis emendi optulerit se facultas, pecunia ad hoc pertinente iam mei testamenti executoribus deputata, ut hospitale saepedictos agros postmodum absque praestatione cuiuslibet annonae simpliciter et libere valeat possidere. Avenam similiter hospitale percipiet pro labore colligendi pistandi et distribuendi, ut magis voluntarie dicta elemosina absque diminutione qualibet persolvatur. Praeterea tria talenta et septem solidos provenientes de areis in Colonia committo domino Conrado de sancto Johanne baptista suisque successoribus in festo sanctae Walpurgis colligendos, de quibus teneatur singulis septimanis die sabbati magistrae infirmorum hospitalis unum solidum praesentare, ut summe infirmis praeter communem praebendam consolatio aliqua inde fiat. Residuos vero quindecim solidos dictus capellanus intuitu elemosinae et pro suis laboribus percipiet annuatim. Ut autem haec firma permaneant, nec aliqua super ipsis in posterum suscitetur quaestio vel ambiguitas nocitura, praesentem litteram desuper conscriptam sigillis venerabilis patris domini Bernhardi Mynsensis episcopi totiusque eiusdem ecclesiae capituli ac meo disposui roborari. Testes huius sunt dominus Siffridus Mynsensis, dominus Johannes Wurzinensis et magister Theodericus Budesinensis ecclesiarum praepositi, magister Conradus de Hersfeldia, magister Henricus de Rokhusen et dominus Henricus de Wratizlavia canonici Mynsenses, dominus Conradus de domina nostra perpetuus